

DE HIS QUI AD ECCLESIAS CONFUGIUNT VEL IBI EXCLAMANT.

1.12.1

Impp. Arcadius et Honorius A A. Archelao praefecto Augustali.

Iudaei, qui reatu aliquo vel debitis fatigati simulant se Christianae legi velle coniungi, ut ad ecclesias confugientes evitare possint crimina vel pondera debitorum, arceantur nec ante suscipiantur, quam debita universa reddiderint vel fuerint innocentia demonstrata purgati.

D. XV k. Iul. Constantinopoli Caesario et Attico cons.

[a. 397]

1.12.2

Impp. Honorius et Theodosius AA. Iovio pp.

Fideli ac devota praeceptione sancimus nemini licere ad sacrosanctas ecclesias confugientes abducere: sub hac videlicet definitione, ut, si quisquam contra hanc legem venire temptaverit, sciat se ad maiestatis crimen esse retinendum.

D. k. April. Ravennae Honorio VIII et Theodosio III AA. cons.

[a. 409]